



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Quibus temporibus non sint celebrandæ nuptiæ. E

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

*Hier. ferm.
in vigilia
Pasche de
esu agni t. 4.
1. Reg. 21. b.
Ioan. 6. d.*

Illi autem, quod dictum est, reddere debitum non esse peccatum videtur obuiare, quod ait Hieronimus. Quicumque uxori debitum reddit, vacare non potest orationi, nec carnes agni edere. Item, Si panis propositionis ab his, qui uxores suas tetigerant, comedi non poterant: quanto magis panis, qui de celo descendit, non potest ab his, qui coniugalibus paulo ante hæere complexibus, violari atque contingi non quod nuptias condemnemus, sed quod eo tempore quo carnes agni manducaturi sumus, vacare à carnalibus operibus debeamus. Hoc capitulum maxime ad ministros Ecclesie pertinet, videtur: quibus non licebat sacra officia celebrare atque mysteria tempore coniugalis amplexus: quo etiam præsentia Spir. S. non datur. Unde idem ait, Coniugia legitima carent quidem peccato: nec tamen tempore illo quo coniugales actus geruntur, præsentia Spir. S. dabitur, etiam si Propheta esse videatur, qui officio generationis obsequitur.

*Conc. Iler-
dense.*

*Nicolaus
Papa I. ad
consulta
Bulgarorū.*

*32. q. 4. cap.
Recurrat
nunc parag.
hæc ita.*

Quibus temporibus non sunt celebranda nuptia.

Nec solum in opere carnali obseruanda sunt tempora, sed etiam in celebrandis nuptiis: secundum illud, Non oportet à Septuagesima vsque in Octavam Paschæ, & tribus hebdomadis ante festum S. Ioannis, & ab Aduentu Domini vsque post Epiphaniam celebrare nuptias. Quod si factum fuerit, separentur. Item, Nicolaus Papa, Nec uxorem ducere, nec coniugia facere quadragesimali tempore conuenire posse vilo modo arbitror.

DE DIVERSIS CONIUGII LEGIBVS.
DISTINCT. XXXIII.

Quæritur hic de antiquis patribus, qui plures mulieres habuisse uxores vel concubinas, utrum peccauerint? Ad quod dicimus, Pro varietate temporum varia inuenitur dispensatio conditoris. Ab exordio enim temporis inter duos tantum, Adam scilicet & Euam, inchoatum est coniugium.